Vespasianum, humani generis delicias, ut armorum ac equitandi
peritissimum, ita et Latinæ Græcæque linguæ, vel in orandi
vel in fingendis poëmatibus ad extemporalitatem usque prom-
tum ac facilem, idem Suetonius prædicat. Et Plinius fi-
delissimus Naturæ Bibliothecarius, summa eundem eloquen-
tia summaque eruditione præditum, dicit. Non ibo per
cæteros antiquæ Romæ Imperatores. Nam quis eorum
non ferè talis fuit? Usque adeò, ut non nobilem tantum
digressionem de Civili Principum Rom. eloquentiâ, quam
Annal. XIII c. 3. funus Claudii et laudationem funebrem à
successore Nerone habitam, descripsisset, C. Tacitus
constituat, sed et Cornelianæ hujus digressionis oc-
casione, Commentationi suæ indicem ac fines paulò
productiores daturus, de Eloquentia Politici libellum
Princeps J. Henr. Boeclerus concinnavit. Interim verò dum
Tiberium, dum Antoninum Philosophum, dum cæteros
Romanorum Imperatores, qui literarum ac eruditio-
nis laude maximè conspicui longâ serie prodirent,
omitto: è mente in linguam Carolus M., qui supra omnes
Orbis Principes magnus evaserat, venit. Ecce enim
quamplurima sunt, quæ amorem et favorem illius
in literas loquuntur. Loquuntur linguæ, quas calluit.
Loquuntur scholæ, quas erexit, et examina quibus lau-
dator ac Censor interfuit; loquitur Academia quam
instituit, Parisiensis: loquuntur vocati atque Luteti-
am, tanquam in castra quædam literarum, viri. O au-
tem felicia castra, quæ tot præclaros non milites
sed duces in militiâ togata dederunt. Carolus Vtus
sequitur, de industriâ totum agmen clausurus, nisi et
à Suecis Gustavus Adolfus mihi Suecorum civi memo-
randus foret. Videte, quæso, Auditores, Augustissimum
Romanorum Imperatorem lampada omnibus bonis præfe-